

quippe & Eretriam totam ipsasq; Athenas, & Jōnum sacra, Græcorumq;
statuas huic devorandas objecistis: Quid? quòd igne, tanquam imagine
qvadam Divinitatis dii ipsi delectari credebantur, eaq; quasi notâ, hu-
manis negotiis advigilare, & instar militis adversus fortunæ lubricos
casus sub hōc signō excubare, quod non ignoravit Virgilius, qui my-
sterium hoc elucidavit:

Templa Jovi centum, lætis immania regnis
Centum aras posuit, vigilemq; sacraverat ignem,
Excubias Divūm æternas.

Cui sine dubio genuinum est illud Camilli, apud Livium, quando
ignem sacrum, Signum vocat & pignus imperii: quid, inqviens, de
æternis Vestæ ignibus, signoq; quod imperii pignus custodiâ ejus tem-
pli tenetur, loquar? Idem alibi æternos ignes commemorat, ac condi-
tum in penetrali *fatiale pignus imperii*. Quia namque quædam quasi fidu-
cia contracta inter Deos ac homines, & hoc, ut ita dicamus, angelico
signaculo, (quod pignoris locō possideretur ab homine, in quo Divi-
næ Majestatis fulgeret species, penes hominem remanens) velut obfi-
gnata credebatur; ideò meritō pignoris locō ei traditum intelligebatur,
sub hac lege, ut per æternam illius ignis custodiam æternum quoq; sub
Deorum fide ac tutelâ imperium speraret, cumq; sic idem ignis æterni-
tatis quoq; symbolum haberetur, ideò Principi præferri solebat. Quid
enim Princeps aliud, quàm spiraculum quoddam perpetuò viventis im-
perii, cum in successoribus Principes vivant; ignis autem, quasi æternæ
successionis potentiam in se habeat? Quò & hoc referas licet, quòd Per-
sæ mortuò Rege, ignem sacrum in templis exstinxerint, eundem simul
atq; defuncti manibus justa persolvissent, ex templo redaccenderint.
Quod ex Diodoro patet, inter signa mortis Alexandri M. hoc recensente;
*πᾶσα δὲ τοῖς κτ' τὴν Ἀσίαν οἰκῆσι προσέταξε τὸ ὄψα τοῖς Πέρσαις ἰε-
ρὸν πῦρ καλέμνον ἑπιμελῶς σφῆσαι μέχρι αὐτὴν τελεῖται τὴν ἐκφορὰν. τὸ το
ἦ εἰώθεασιν οἱ Πέρσαι ποιεῖν κτ' τὰς τῶν βασιλέων τελευτάς.* *Mandatum*
*præterea ad omnes Asiæ gentes (Alexander) dedit, ut ignem, qui Sacer à Per-
sis vocatur, quovisq; exsequias (Hephestioni) peregisset, exstinguerent, id quod*
in Regum obitu à Persis factitari solet. Hoc verò mandatum pro infelici o-
mine à vulgo acceptum fuit: Nam Regis mortem à Numine hōc ipsō
significari existimabāt. Ac sanè haud immeritō Majestati Regiæ, aut etiā
Di-

Di-